

4a 412
Q. D. B. V.

EX

AUTHORITATE ET INDULTU

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ Jenensis

DISSERTATIONEM HANC

DE

A B O R T U

E P I D E M I C O

P R Æ S I D E

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. JACOB. FICKIO,

PHIL. ET MED. D. ARCHIATRO


COM. MANSFELD.

Præceptore suo ætatem colendo

publice ventilandam sistit

D. MART. ANN. M. DC. XCVII.

H. T. WITTE, QVENSTED. MANSFELD.



J E N Æ,

TYPIS GOLLNERIANIS.

L. D. S. R.

EX

AUTORITATE ET INDULTU

Gratiosissime Facultatis Medicæ Senensis
DISSERTATIONEM HANC

DE

A B R O R T U

EPIDEMICO

P R A E S I D E

MAG. NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. JACOB. TICKIO

PHIL. ET MED. D. ARCHIATRO

COM. MANSELD.

Præceptore suo ceterum colendo

publice recitandum fuit

D. MART. ANN. M. DC. LXXII

H. T. WITTE, QUENSTED. MANSELD.

non sine consensu et auctoritate

J. E. V. AB.

TIPIE COLLEGERUNT





I. N. F.

AD tot morborum myriades enitendas parili conferunt & majori fere numero suam opem tristiciores causæ, quas inter externæ haud dubie indaginis solertioris & commentationis capaces quoque aut indigæ sunt, sive necessitatem lubeat spectare, qua inevitabiliter viventium attaminant corpora conteruntque, sive affiendi magnitudinem, moresque pessimos sæpe, quibus longe lateque grassantes multos divexant populos, aut in hac illave regione vel urbe plures communiter infestant incolas, unde epidemii, nunc à victu, nunc & potissimum ab aere, causa communissima, nec tamen vernacula, secundum anni tempestates diversimode affigentes, ortum ducunt morbi: neque a peculiari sanguinis & humorum crasi omnino dependent, nisi quatenus occulta vel manifesta aeris influenza dictis corporibus eandem impresserit; hi durante illa aeris constitutione nec ultra pergunt laceffere, neque alio ullo tempore invadunt, asserente Sydenham *Opuscul. Med. sect. 1. c. 1.*

Plane ad similem epidemicam athmosphæræ habitudinem *Hippocrates*, *Cous*, maximus Medicorum & naturæ peritissimus, refert abortus speciem, *lib. 3. aphorism. 12.* Et cum haud raro memoriam anni præcedentis repeteremus, quo cum alia multa, tum abortus præprimis foeminis multum pariebat negotii, & quibusdam erat funestus,

nestus, pensitatisque circumstantiis a discrepante ab invicem diversarum anni quadrarum constitutione probabiliter procedere animadverteremus, destituti multiplici accuratissimarum observationum undique congestarum fide, saltem memorati aphorismi commentationem aggredi minori molimento cupimus. Quod institutum nostrum tertio expedimus capite, ut primum abortus decernat formalitatem, & potiores ejus alias causas, alterum varias enodet aeris habitudines & anomalias, donec ultimum specialiora huc quadrantia ex prioribus, dextramque pro viribus expositionem sistat. Coepta Deus T. O. M. fortunet nostra.

CAP. I.

§. I.

Fœtus in utero primis quatuor mensibus ad medium usque gestationis tempus vix movetur: tum vero, ubi ossa cum musculis paulo firmiora reddita, in matre quidam motus observatur initio levior, successive vehementior, & interdum satis molestus. Elapsis vero mensibus novem solaribus, aut decem lunaribus, instante partus hora, circa consuetum alias mensium olim fluere solitorum tempus, eodem naturæ impetu juvante, foetus capite ad uteri cervicem prono ad exitum se accingit, egressurus quoque e latebris uteri strictioribus ob aeris defectum adeoque respirationis urgentiam, qua & immediata aeris admissione tenerior foetus constitutio, blando humorum cordisque motu suæ vitalitati tunc satis congruo contenta carere hæcenus poterat, suppetente scilicet aërearum minutiarum cum nutrimento a matre in placenta-

tam,

tam, ex qua eapropter refluus per arterias umbilicales nigricans sanguis per venam purpureus magis revertitur, deciduo elasticitate: ast solidata nunc sub incremento atq; densata magis in poris ac meatibus ejus textura, cum fortio-rem fluidorum impulsu subinde exposcat, opus erat uberiori aeris immediate per respiratoria organa appulsu, pro motu sanguinis intestino insignius roborando, atque functionibus vitalibus decenter obeundis: quo semel ad-
 missa impostero carere nequit animal citra vitæ jactu-
 ram. Vid. *Excell. Bobnium, in Circul. anatom. physiol.*

§. 2. Ipsam vero exclusionem præstat matris ac fœtus mutuam adjutorium. Hic enim a prædictæ causæ intrinseca sub divini Numinis destinatione necessitatus urgentia, variis membrorum flexuris & artuum vehementiori commotione irritat uterum fibrosæ substantiæ ad contractionem & sui compressionem, quam nisu matris validus per diaphragmatis ob cohibitam respirationem & musculorum abdominis tensiones, conspirante humorum atque spirituum exagitatione menses quondam expulsiva, & parturientibus propriis doloribus obstetricantibus, promovet: hinc adactæ membranæ fœtum operientes ab humorum compressorum renitentia atque impulsu in orificium uteri internum, inibi tanquam in loco cedere apto rumpuntur, cum profluxu aquarum vias emollientium, proditque pusio, diducta ob nexus propter cartilagineas emollitas laxitatem pelvi, in publicum cum secundinis, ab istis resecto firmiterque ligato fune umbilicali liberandus; quæ si substiterint, cum placenta nisu matris aut vi externa tractoria avelluntur ab utero, qua parte postmodum laceratis vasorum ejus radiculis sanguis, i. e. lochia, intra spongiosam ejus ac vasculosotubulosam compagem gestationis tempore ob tardio-rem motum coacervatus,

(unde uteri crassities citra carnositatis accessionem) expurgatur pressus ab utero, successiva fibrarum contractione in pristinam figuram molemque se vindicante. Consule de his & aliis accuratissime differentem *Celeberrimum Wedelium, Praeceptorem nostrum estimatissimum, in physiolog. Reformat.*

§. 3. Breviter hæc, natura recte omnia curante contingere solita, notasse & pramonere perquam necesse visum fuit: atque sic fiet apertum obiter attendenti, quod abortus, scilicet intempestiva, i. e. ante legitimum parienti tempus, foetus imperfecti vitalis aut minus, exclusio procedat a causis violentis in- vel externis, interveniente proxime uteri, porroque matris aut foetus tanquam causarum sociarum culpa. Sæpe quidem numero usu venire solet, ut foetus moles quotidie accrescens non amplius uteri concamerationi sit rite commensurata, dum parvitate hic, propter membranas justo densiores, aut præ siccitate rigidisque fibris cedere renuens, nativa vel acquisita tumoribus duris, scirrhosis, molave &c. laborat, quocirca habitaculum suo superans augmento gratissimum, molli sua alias sede compressus undique cogitur exire. Alia ad novas spes credula mater periculo foetus omiffuri imponitur a relaxatione præter naturali uteri, ob fibrositates emollitas flaccidasve conceptui firmiter complectendo imparis, quin dimittat eum, occasione motus matris aut foetus paulo validioris data, per vias facile explicabiles, velificante præsertim hoc vitium comite ductuum parietumve lubricitate: id quod solenne est in cachexia, hydrope uteri, intemperie frigida, aut ubi balneorum usu nimium delectantur foeminae.

§. 4. Nec minor abortiendi necessitas ab enormiori uteri intimiorique oboritur irritatione, quam tam morbi so-

bi solutæ unitatis, vulnera, ulceraque, quam humorum acrimium congestio, potissimum scorbutico-tartareorum inferunt. Hæmorrhagia peræque uteri, non omnis sed ex fundo contingens, turbando fœtus œconomiam, suffurando alimenta, & suffocationem minitendo, perquam periculosa esse deprehenditur. Per consensum vero ob viciniam & nervorum commercium spasmodice sollicitatur quoque uterus in diarrhœa, ista pariter, quam inconsideratus purgantium infidorum præsertim usus inducit, & tennesmum a biliosis humoribus, atque resinositate acri purgante ani sphincteri impactis trahit comitem; qui solitarii interdum morbus idem præstat, humoribus serosis, in glandulis intestini recti lenticularibus stasi corruptis, aut profusis scorbuticis, non secus ac purulentis in ulcere, vermibusque rodentibus, adscribendus.

§. 5. Quam quæso incurii sæpe vilipendimus alvi duritiem, & tamen tam alvinæ fæces accumulata, quam flatus incarcerati, ut odorum pravitatem spiritibus infensam taceamus, tantum quandoque in uterum impetum moliuntur, ut exturbetur quantocyus tristi eventu proles. Sic vesica morbum nacta, imprimis circa sphincterem, tum quoque ab usurpatis diureticis, sero fuso & acrimonia inducta celerem urinæ secretionem & emictionem cum perpetua hujus muscoli, tandem dolorifica apertura, procurantibus, non una vice, partim mole urinosi laticis aggravante, partim stimulando, affectum nostrum peperit. Ast omnium nocentissimi sunt motus uteri convulsivi atque spasmodici in hysterica passione, & per consensum a partium vicinarum, ventris renumque doloribus prognati.

§. 6. Ex parte fœtus quæ concurrere possint cum complectimur animo, quatuor causas reperimus, cur ab-
or-

ortus malum sat triste possit evenire : unam, quando debilis natura aut morbis fractus, aut exanimatus ob violentiam externam, vel reatum matris gravi valetudine pressæ, & implicitæ in morbos, istos præsertim, quos acutos vocant, aut chronicos mali moris, frigidosque, unice fere ob alimenti penuriam pravitatemque, domicilii sui pertæsus, aut vero rejiculus in lucem & auram exit ista parum vel minime fruiturus : alteram, quod naturæ robore pollens, aut valde inquietatus membrorum morbose convulsorum impetuosa jectigatione, calcitrando uterum extimulet ad præternaturalem sui constrictionem : tertiam, quando à patre lacertoso genitus, aut hydrope distentus uteri cavum grandi mole excedit : quartam, ubi vehementi corporis per saltum, vecturam &c. commotione placenta ab utero violenter avellitur, ut commercio interrupto, nutritu orbis, & a sanguine profiliante ad tergum pressus, viisque hiatu sat amplo reclusis, cedere fati & gremio necesse habeat.

§. 7. Cedo nunc, qui suum confert mater symbolum? sic enim percunctanti multos suggerit, & exponit casus fere quotidiana experientia. Exitium capiti foetus parant plethora fere magis quam cacochymia, & grave periculum morbi, tam qui vitalem sanguinis motum intestinum spirituumque exagitationem imminutive supprimunt, syncope, lipothymia &c. quam qui effera commotione enormiter omnia exagitant febriles istisque analogi; porroque sub eodem vexillo militantes vehementiores animi passiones actutum obvenientes turbando spiritus, quos confusane ad interiora repulso obruendo suffocant metus, terrorque subitaneus, vel inordinate ad extrema explosos disperdunt gaudium effusissimum: nec mirum, si intermediis his similiter intimius alteretur fan-

sanguis in motu regulari æquabili, qualitateque, adeo nociva œconomix & peregrina, ut propterea animalium, morsus ira excandefactorum maligni reputentur venenosique.

§. 8. Porro quando alligata mutuo ambitu corpora robustam quærunt voluptatem, & gravida inter anhelitus sudoresq; utcunq; trita influxum ad flagrantia membra copiosiore humorum æque ac spirituum proritat, tam parva epileptica uteri constrictio, quam juxta cum spirituum insigni ataxia virium sub lassitudine conspicua consumptio subsequitur, quæ & superveniens fortior ventrum collisio foetum expellere facile queunt. Ecquis non novit, hystericas, ob idque facile aborturas odore ad nares foetido excitatas recreari: & tamen has atque alias tetra cloacæ, paludum, candelæ setacæ extinctæ &c. effumatione, spiritibus animalibus atque vitalibus summe damnosa, quasdam econtra rosarum, rerumq; aliarum insigniter suaveolentium, vel quibus, ut semini Dracunculi &c. specifica in texturæ modo quærenda insidet qualitas, fragrantia abortioni reddi obnoxias. Ut malum hoc a sternutatione frequentiori, tussi ferina ac vomitus vehementia, corpus ac per diaphragmatis impetuosum descensum simul concutiente uterum, metuendum taceamus.

Has atque similes alias causas, & quantum quæque valeat, explorari profecto nimis longum foret: excitandæ fat grandi molestiæ unamquamque existere aptam nemo facile inficiabitur, non tamen epidemium constituere nostrum poterit affectum, præter aerem, quo in universum omnes fruimur absoluta necessitate viventes, necis quoq; aut saltim invaletudinis post partum authore.

Vid. Cap. 3.

B

CAP.

EXtra dubium hodiernum apud plerosque, ne dicam omnes, utpote experimentis ad sensum ductis, & subactiore iudicio perpensis captos habetur, quodlibet corpus, etiam solidissimum glaciemque frigidissimam, habere circa se atmosphæram, i. e. massam insensibilium effluviolorum. Ecquid de terreno iudicabimus globo satis poroso & exhalabilibus investito potissimum fluidis corporibus, ob mollem partium minimarum situm & independentiam, excitatore solis & subterranei ignis calore, impetive ætheris atque aeris valido satis pressivo & elastico imprimis, in vapores distrahi aptis; hunc certe magnam valde circa se oportebit atmosphæram admittere, aeri dispersam, inde nomen mutuanti suum. Quodsi itaque hujus complexim considerati aeris apponere descriptionem allubesceret, juxta Cartesii mentem appellitaremus congeriem particularum tertii elementi tenuium ramosarum, in materia cœlesti, globulis præsertim, volitantium instar plumularum, (quæ nativa aeris substantia est, gaudens elasticitate,) adventitie scatentem undiquaque vaporibus & fumis atque halitibus terrestrium corporum æque ac cœlestium omnis generis & pene infinitis in textura & indole, tenuissimis, ut rarum tamen, fluidum & pellucidum, exiguitatis molecularum variorumque motuum beneficio, fiat corpus.

§. 2. Nec erit perdifficile Philosophis per ignem comprobatu, sua inexistere principia atmosphære disseminata. Siquidem aqueas, quibus mitigentur alia rigidiora puncta, ut lenius in vibratione procedant, inibi coacer-

cervatas patefaciunt particulas nebula, ros, iris & nubes, insensiliter vero dispersas guttulæ lateribus vasis, glacie, salium mixtura certa, aut liquore frigido, vel etiam nitri & ammoniaci salibus infrigidantibus turgido, intus perfusis frigefacti sub die sereno æstivo adhærentes, quarum majorem vel minorem copiam hygroscoopiis moderni physici æstimant.

§. 3. Terrestriores, pulvisculorum forma, immisissis in cubiculum obscurum per angustum foramen radiis solaribus, per aerem volitare visis, æque multa sistunt oculis ac menti meteora, fulmen nempe, stellæ cadentes, impuritates cum pluvia super tecta decedentes, & accretiones vegetabilium in rupibus &c. atque hæ in aere, quorsum sulphurearum commercio evectæ erant, non tanta amplius commotæ, impetu materiæ subtilis languente, velocitate, cui & directioni in unum terminum magna infidet efficacia; aut vero aliorum consortio nuptæ ponderosiores factæ, ima rursus petunt, ut sæpe pulveris copiosissimi insipidi facie deponantur, vel quoque aqueis particulis diditæ, procedentes e terra bolacea fretave minio, vel chalcanthinam & bituminosam acquisitæ tincturam, constituent pluviam sanguineam, etsi hanc nitrosis sub spiritus destillatione rubellum, acceptissimo oculis spectaculo, colorem exhibentibus adscribere malint effluviis.

§. 4. Salinas rigidas subtiliatas haud exigua atmosphæræ portionem constituere, fateri coguntur gravi scorbutico, ex salino tartarea, lympham sanguinis simul ac fluidum nerveum valde collutulante materia exorto affecti tristius locorum maritimorum accolæ; & salium ex fontibus cocturæ ubi ponitur opera, salinas in aere impuritates odoris tetri sensu posse percipi notum est, & rubigo, quæ ferramenta, imo ipsa vestium ex auro argentove

confecta ornamenta exedendo depravat, abunde testatur: itaque nitri foetura ibi locorum ob affinitatem in radice salium est copiosior. Liceat porro dicere locorum non solum, sed & temporis diversitatem, salium in aere discrepantiam variare; *Morhofius* enim in *epist. de metall. transmutat. p. 29.* memorat de Kerkringio, insignem genuini vitrioli impurioris ex aere Amstelodamensi opere machinae cujusdam esse copiam expiscatum. Nec praefraete experimentis aliorum obsistendo negare conatur *Hamelius de corp. anim. l. 2. c. 4.* flante borea, aut hyberno tempore collectum salem plurimum acidi continere, non item si aestate colligatur. Imo hos sales in aqua solutos & confusos effervesce, unde alcalinae naturae habetur alterum: acidiorum in locis maritimis, magis volatilem in regionibus fervidioribus, per hyemen quoque copiosius sparsum esse.

§. 5. Atque his dictis pariter nostrum addere calculum haud veremur, cum uberius ista comprobandi, si placeret, suppeterent rationes: & universalius paulo reperiri nitrosam in aere qualitatem contendimus, eatenus tamen non admittentes universalissimum, aethereum minerale sal hermaphroditicum, & spiritum nitro aereum, omnia super terris vivificantem, fertilitatis authorem, quod si terrae sub pluviae vehiculo committatur, in qua sal aeris centrale delitescat, pyrotechnia separandum: quo de quid statuendum, ablegamus rerum cupidos ad *Excellent. Bobnium de infl. aeris in inf., & Chym. cap. 4.* Certe quod *Burrhus* de aucupio spiritus mundi, sale gravidi universalis, ex aere, dum filtro vitreo capacissimo sub aestivo solis fervore guttulas praefigore vasis accretas adunit rorulentas per aera sparsas, gloriatus, vix satis expectationi facit, aqua quippe existit tantum levissima & valde tenu-

tenuis, eaque propter satis activa, destituta licet foret subtilissimis salino-sulphureis olim adscriptis atomis, & variorum menstruum concretorum haud inefficax, lymphaticum microcosmi salivale æmulans ex insipidorum classe, quibus vim solvendi catholicam Chymicorum selectior cohors attribuere cupit.

§. 6. Sed vero aliæ sunt admittendæ, licet itidem non universaliter aerique propriæ, ab isto tamen venandæ, atomi salinæ volatiles, urinosa ammoniacales, quemadmodum hoc salis genus subdito igne in auras fere totum avolat, sulphureæ, quales ignea meteora, lambens ignisq; fatuus, fulgura atque fulmina odorem satis tetrum sulphuris æmulum naribus offerentia, arguunt; mercuriales, acres arsenicales &c. e variis artificum laboribus eructantes, aliæque multivarie, ex locis subterraneis cryptisque remotissimis effumantes, aut quas suprema & extima terræ crusta suppeditat. Quantum porro animata trans & perspirabilia penitus corpora, tam viva, quam demortua, æque ac inanimata, proventum suggerant effluviolorum, mineralia pariter atque metalla sudores quasi profundant ignis vi expressos, nota res est, alio loco pluribus verbis exposita. Quibus æqua iudicii lance trutinatis quidni aeris qualitates, primas saltem egregie temperari ab effluviis, reliquas vero utpote puritatem, infectionem, tenuitatem, crassitiam, gravitatem ac levitatem, potissimum constitui opinemur.

§. 7. Sed insuper multum huc conferunt solis & lunæ positiones, seu potius varius horum respectu telluris situs accessus & recessus, qui anni tempora efficit, tandemque ventorum diversæ agitationes. Ad hoc redit dicendorum summa, lumine, motu ac corporis præsentia suam in inferiora energiam exerere præfata luminaria mundi

gna. Nam ut sol purior flamma & igneus globus est, sic luce privari nequit excaeficiente. Sed quorsum ista materiae per loca a polis remota emissio, & similis per polos ipsos receptio, itemq; heterogeneitatum expulsio, quibus & illis a macularum dissipatione exurgentibus atmosphaera ejus constituitur? minime usu carere certo putandum est, licet a nobis non sufficienter perspecto, & dum conspirare hoc ipso atque suas invicem communicare potentias cernimus, unicam esse corporum universitatem, quorum unum alterius conservationi studeat, indicatur, & mirabilem in toto consensum atque compassionem. Motu, quicquid fit, expeditur, & progressivum adaequat dignitate qui in gyrum turbinis instar est, atque varius fluiditatis ac dissipationis secundum minimas partes: haec autem quia a sui motus centro recedere ad viam rectilineam conantur, eundem in sui vortice ambiente, i. e. globulorum aggregato nisum sua adaugent pressura, & lucem, omnium praestantissimam universi qualitatem, sic efficiunt, simili modo & terrestrium agitatione particularum solito majori, aut globulorum in agmen condensatione calor in mundo exuscitatur, eo major, quo radios sol figit magis directos atque perpendiculares, mora que praesertim super horizonte diutina ac propinquitate sua. Quo fit, ut non solum miasmata solaris partim abundantius eo excurrant, partim activiora, sed etiam tenuiores e terraqueo globo copiosius in aera elevatae exhalationes atmosphaeram nostram majori mobilitate ac rarefcentia calida exaltent. Contrarium accidit hyemali tempore, & medias amant intermediae tempestates affectiones.

§. 8. Sed nec reticenda lunae influxiva in terram qualitas, ex iisdem derivanda principiis, ob fontis identitatem, dispari licet modo. Lumen hoc a sole mutuatum
modi-

modificatur ab opaco lunæ corpore, varie reflexum ac refractum, & eductas vi motus inibi specificas moleculas deturbat ad terram procedens varias alius figuræ ac motus cum peregrinis æthereis, peculiarium hinc in macro pariter ac microcosmo operationum productrices, & eo magis, quodsi aliorum insimul planetarum cum ista conjunctio vel oppositio ulteriorem superaddat specificam determinationem. Exhalationum ex luna in propriam atmosphæram evectorum major copia novilunii tempore suscitari videtur, quia tunc in parte à nobis averfa à radiis solaribus directis plus sui dimidio, in obversa verò istis a terra reflexis majori cum luminis fœnore, quam ei tribuit hæc unquam, licet facies ejus pallore vix sensili nobis ac debiliter fulgeat, illuminatur.

§. 9. Longe vero apertius in inferiora operatur plenilunium, quorsum suos mittit radios, quo copiosiores, eo efficaciores, vix tamen alias elevantes particulas præter aquosiores & terrestres facile mobiles in aerem, ea propter humidiores, & quia agitatione ob imbecillem lucidorum pressionem tardiori cœlestis æque ac vaporosa fertur materia, hujus partibus propria ad invicem accedentibus ponderositate, cum propulsione istius ex intervallis partim constrictis, partim sublatis, multo densiorem atq; graviorem, & tandem vi dictorum & ob subtiliorum uniformiter versus eundem, quare singulæ seorsim proprios motus calorificos libere exercere nequeunt, terminum propulsarum particularum, an semper rigidarum ac oblongarum jamtum, aut sub isto motu per impactionem sibi invicem ita figuratarum dubito, cum momentanea vicissitudine mox halitum oris calidum, nunc frigidum spirare detur, motum rectilineum, cujus hoc statu lunare lumen est concausa, notanter frigidiores.

§. 10.

§. 10. Hic accedat jam porro illustris naturæ effectus, qui mire olim Physicorum torsit ingenia, fluxus nimirum maris & defluxus, ortus a pressione materiæ æthereæ, terram inter & lunam gyrantis, & ob præsentiam lunæ spatio pro transitu angustiori validius prementis illis in locis, quibus ipsa imminet: & hoc tanto magis, quo terræ propior novi ac plenilunii tempore luna est, aut circa æquinoctia terræ ac lunæ directa magis est oppositio. Cum autem hæc in distans actio intermedio aere peragatur, eequamnam ipsi quoque inferat alterationem, facile conjecturandum est.

§. 11. A physicis probe observatum & studiose expositum est, quænam mira ventorum vis per motum & qualitates expressa in sublunaribus corporibus, tam animatis, quam inanimatis semper procreavit commoda itidem & irregularitates. Quale quid insignis istorum differentia efficit, quam in acceptis referre licet potissimum variæ, ob diversum ad terram positum & radios plus minus directos, solis, adde lunæ quoque ac siderum, actioni, moderantis æque vaporum agitationem, ac horum juxta cum ignis subterranei motu caloreve educationem: dehinc locorum diversæ elevationi aut depressioni, montium quoque vallium, marium, regionum, e quibus & per quas spirant venti, diversæ habitudini. Nec ad nos spectat inquirere, quomodo hæc aeris atmospherici in unam partem agitatio, tactu perceptibilis, ab aeris rarefactione ab una, & condensatione vel compressione ab altera, & viceversa, ortum ducat, quin potius medicæ erit tractationis, si visa cardinalium proprietate, juxta locorum diversitatem judicanda, effectus eorum in aera & corpus nostrum contemplemur.

§. 12. Septentrionalis est frigidus apud nos, utpote
ex

ex nive glacieque liquefcente, & ex gelido polo progrediens, copiosis imbutus frigorificis particulis, & quia insuper crassiores sunt moleculæ in aere propter frigus constricto & densato, fortius impetit, 'majori robore ob potiorem gravitatem versus Australia loca, quo ab aere solis calore rarefacto & debilioris resistentiæ invitatur, demto æquilibrio proruit, fugans hoc impetu suo nubes, atque vapores aqueos concentrando graviore vectura sua terram versus deturbat, serenitate pedissequa. Nec multum degener ab hoc est Eurus, serenus ac siccus, ob immensam continentem & vastos terrarum tractus montibus hinc inde asperos atque arenis obsitos, impetuofus pariter ob solis aerem ante se rarefacientis cursum versus occidentem, proptereaque reliquis frequentior; porro rigidofrigidiusculus est, quia ejusmodi imbutus terrestribus halitibus est, & in unam simul valide urgetur partem rapidiori motu, qui leniori particularum exiguarum aeris confusaneæ calorigificæ agitationi impedimento est.

§. 13. Contrarias fere obtinent rationes austrinus atque occidentalis. Auster quippe calidior atque humidior est, quia vaporibus ex mediterraneo evectis mari copiosissimis, tepesactis a sole propiori & meridionali scattet: debilior ob rarefcentiam, molliorque ob atomorum glabrarum flexilium & teretium aquearum inexistenciam, defectumque rigidarum salino terrearum. Zephyrus vero humido-calidus est atque pluviarum ferax, ex locis marinis occidentalibus procedens cum nubilo ac inconstanti aere. Intermedii participant de prædictis, atque medio se tenent modo in motu ac qualitatibus.

§. 14. Ex quibus liquent effectus ventorum in aerem, (& corpus etiam nostrum tanto magis afficientium, quo per intervalla & viis contrariis spirant inconstantius)

cujus calorem frigore, humiditatem siccitate &c. probe temperant, postmodum agitatione sua determinata arcent ab eo corruptionem, & ventilando corrigunt, nequid esset situ squalidum, aliunde vero inquinatum everrendo depurant, aut consortio alius diversis gravi effluviis distinctæ gravitatis moderantur, quo contemperatus undique vitæ animalium evadat proficuus: sed & noxius redditur a temperie multum diuque recedens, aut exitialibus conspurcatus miasmatis e locis, unde & per quos spirant eructatis: adeoque per ventos commoda regionum peræque ac incommoda fiunt communia.

§. 15. Sed alius longe speciosior restat effectus ususque ventorum, dum aeris gravitatem atque pressionem, notanter modificant, quæ perpendicularis semper præter cylindrorum vel conorum aereorum altitudinem, plurimumque id propter combinatorum, quo terræ sunt viciniores, latitudinem, etiam majori minorive crassiorum ac graviorum effluviorum, in athmosphæra nidulantium, quantitati imputanda est. Quo tamen modo efficiant hoc ipsum rursus paucis sustinemus: vapores sunt dilatati, quod aquæ in vapores distractæ ex æolipilis impetuosa cum strepitu proruptio manifestat, testaturque pari istos cum impetuositate propelli repellique: quid aliud ergo hoc consequi opinemur, quam inde minui pro re nata exhalationum copiam, aut adaugeri moleculis quoque grandioribus e terra sublatis in aerem, abinde & dum spiramine venti suo perpendiculariter urgent super horizontem percelluntque, plus minus ponderosorem futurum.

§. 16. Jucundo spectaculo ascensu mercurii vivi descensuque in baroscopiis dicta nostra demonstrare sategit moderna experimentalis philosophia, quem gravitativæ
aeris

aeris dispositioni, indirecte simul calori ejus aut frigori, penitus se accommodare comperit. Dum itaque hyemali tempore, interdum cum parca, subtili nive, vel pluvia, simul frigida, ut & spirante vento boreali & orientali, vigenteque aut futura serenitate, imprimis duratura, mercurium in tubo elevatiorem cernimus, quidni atmosphæram tunc temporis graviorem statuerere debemus? E-contra ex humili, nubes & pluvias prænunciante, nivesque præcedente, eo diuturniores & copiosiores, quo humilior ipse fit; itemque quando venti a meridie & occidente afflant, quo impetuosiores, augures non solum, sed & auctores notabilis aeris inconstantia, nempe pluviosæ aut niviosæ, tanto depressior est mercurius; porroque ex eodem phænomeno, in æstate, ubi tempestatis subsecutura, fulgurum ac tonitru index est, & quo humilior, eo pluvia copia & ventorum impetus vehementior ingruit turbatve, atmosphæram minoris pressionis atque gravitatis verissimè affirmamus. Subitanea aeris vel successiva mutatio, lapsum mercurii celerem vel tardum, aut parilem inferens scansionem, similem in gravitate vicissitudinem quoque arguit. Avet animus legere plura hac de re, evolvat eruditissimas *Camerarii Ephemerides meteorologicas*.

§. 17. Ceterum ut variorum naturæ effectuum fons est singularis hæc atmosphærae proprietas, ita elasticum aeris motum similiter multum ab ista adjuvari certum est, utpote qua ramosæ aeris moleculæ inflectuntur, & dum inflexæ interstitiola nimis angustant, obtortosque ac interruptos formant meatus, subtilissima ac ætherea materia, per istos currere consueta hæctenus liberrime, nunc præpedita, quo repetat rursus vias tritas, contranitendo prementium virtuti ramulos iterum explicare, diducere, dilatate impulso suo perpetuo conatur, comprimantia

corpora, quantum potest, repellendo removens: ni itaque ultra modum comprimeretur, quid opus conatu sese in pristina loca nisique restituendi? undenam vero potior nisi ab atmosphaera compressio, quanquam quasdam ferre suppetias in reluctando ætheris gravitatem facile gratisque concesserimus.

§. 18. Explicandus tandem foret motus aeris fluiditatis, ast persuasum nobis cum sit, neminem de eo dubitaturum, opera hac superfedemus, properantes ad aeris qualitates in concreto spectatas, quomodo ad corpus relatæ humanum miræ operationis efficacia istud afficiant. Nec operosi erimus in demonstrandis latentibus, propter anonymas in aere substantias, effluvia siderea vel astra, aut subterranea, qualia metallifossore cum damno suo experiuntur, peculiaris ac diversæ indolis, persæpe ad aerem, maxime post horrendos terræ motus & inusitata soli schismata, ex corporibus infra superficiem globi longe sitis, tum fluidis tum consistentibus variis, minus hætenus obviis & incognitis, pertingentia, quorum diversitatem aquæ medicatæ & nocivæ innumeræ innuunt, unde morbi novi exoticique, qui nonnullis temporibus & locis multa bruta hujus illiusve speciei, aut homines corripunt, scaturiant, quo de vid. *Boyleus de latent. aer. qual. Athan. Kircherus Mund. subterr. l. 5. sect. 4. cap. 3. Helmontius de lithias. cap. 1. §. 18.*

§. 19. Sed potius ruspaturi sumus manifestas, per motum ac miscelam particularum omnem vim pariter in corpora sibi subjecta, & nostri partes tam fluidas, quam solidas exerentes. Ubi sane motus, uti alias præcipuum, materiæ accidens & fœcundum rerum universi principium existit, plurium qualitatum modifcator, & intestinus reliquorum motuum statuminator est. Omne vero momentum

tum

tum contactu expeditur corporeo & immediato, seclusa
 ejus in distans actione immateriali: quod fieri necesse
 est, dum ab ambiente via triplici materia secernitur cor-
 porum poris naturaliter adæquata. Insigne pulmonum
 hac in re munus celebratur merito primicerium, quos
 dum aer pondere gravis totus athmosphæricus irruit, &
 diaphragmate per modum constrictionis descendente,
 quando costis beneficio musculorum sursum tractis thorax
 ampliatur, fracto sic aeris thoracici æquilibrio, subtilior
 istius portio mediæ inter vaporosas crassiores & subtilissi-
 mas alias naturæ, comitata tamen istis ac roborata æthe-
 reis, in vesiculis pulmonalibus per poros magnitudine &
 figura sibi congruos extremorum bronchiorum incon-
 spicuos secernitur.

§. 20. Altera via est, quando per cutacei tegminis
 spiracula, tam istos sensiles cuticulæ poros, singulos val-
 vulis cucurbitiformibus aut pelliculis convexis interiora
 versus protensis stipatos, in quos suis terminantur glandu-
 læ miliares excretoriis vasculis, tum illos insensiles tran-
 spiratui insensibili proprios, effluvia aerea variæ indolis pe-
 netrant, non obstante perpetua transpiratione, cum con-
 trario motu & viis per eosdem licet exiguos meatus eo-
 dem tempore diversam simul permeare posse materiam
 experimenta evincant.

§. 21. Tertia sunt primæ cum annexis viæ satis pa-
 tulæ, ad quas partim cum saliva defluit perpetuo degluti-
 ta, partim cibus atque aliis assumendis intricatus devolvi-
 tur, exinde porro sub chyli vehiculo atque viis, ut supe-
 rior iste omnis in poris, sanguini commiscendus, ea sapi-
 entissimæ naturæ intentione, ut non solum sua constituat
 substantia humorum elementum, sed & elatere suo mo-
 tum concitet intestinum vitalem fluiditatis humorum, &

in perfectioribus animalibus pro sanguinis magis salino sulphurea conditione caloris, atque porro miscelæ accuratioris, & consequenter crasseos, authorem, angustissimos corporis abditos quoque scrupos intime pervadens. Sicut autem hunc undecunq; aeris ingressum faciliat pressura ob gravitatem propria atmosphæræ, sic eadem circumstans vitale corpus, fluidi interni fervorem & elasticitatem recte temperat, ac reprimendo moderatur, unaque renitentiam solidarum partium propulsionemque sanguinis in venas promovet & accelerat, asserente illud verissime *Excell. Bergero, disput. de Homine.*

§. 22. Sed vereri subest, ne arguamur oblivionis aliarum adhuc notabilium quoque fatis viarum, quales sunt ossis cribrosi spiracula, suturarum interstitia atque cranii foramina vasis pervia sanguiferis, ductuumve ac cavitatum parietes, quos aer in transitu afficit, contenta fluida alterando, scil. narium, oris, faucium, œsophagi &c. circa quas omnes hoc saltim monendum duximus, illam esse incertam, istam fere impossibilem, atque reliquas a supra nominatis vix discrepantes.

§. 23. Quibus visis nunc quidem attingere fas erit generaliter morbos ab aere prognatos, cum vix quenquam reperias, qui non aliquid, quod sanitati utcunque officiat, abinde sibi aspiratum conqueratur. Quare apud omnes constare arbitramur, intemperate calidum atq; tenuem, ab æthere fortiter agitatum, sanguinem quoque attenuando volatilifare, humores exagitare, fundere atque colliquare, & progressivum enormiter adaugere motum, quo ipso morbos a frigida crassave causa æstivale tempus solvit quandoque: sub hoc statu salia extricata exacuuntur, non minus quam uberior bilis per sulphuris a motu vehementi exaltationem procuratur proventus, & quia humores

res

res ita prædispositi requisitam glandularum in cute miliarium, tubulorum excretoriorum porulorumq; offendunt habitudinem, ultra euphoriam inutilium juxta ac utiliorum effluviolorum transpiratio observatur. En igitur languoris ac siccitatis corporum morborumque calidorum cum succedaneo humorum crassamento exortum.

§. 24. Frigoris facultatem agendi non in quiete mera, sed motu versari rectilineo penetrantissimo ut credamus, movere nos debent operosi ejus effectus tam in macro quam microcosmo. Quapropter dum fremulum sæpeque intolerabile nostra insultat corpora, suis salino acidis spiculis humorum motum tardando incrassat, & propter fibras nimium tensas ac constrictas tubi atq; pori tam membranarum internarum, cum stasi humorum in istis atque inflammationibus, quam externi cutacei constipantur, quo ipso cum transpirationi obex ponatur, fibræq; corrugatae humores citatius interiora versus repellant, serosa densior in toto accumulatur viscidaque colluvies, a qua facilis vasorum pororumq; membranaceorum infarctus & obstructions, mater febrium, catarrhorum, aliorumque pathematum nervosi generis, cui frigus oppido inimicum est.

§. 25. Nec culpa vacat aer siccus, qui frigori aut calori, vel horum gradibus conjunctus saltim operatur, potissimum rigidas efficiens fibras asperitatem ac scabritiem cutis producit, humidamque deprædans moleculas tabidis fit exitiosus, & morbos parit seri defectui bilique intemperatae adscribendos. Humidus vero fibras relaxando emollit tam cutis quam membranarum interiorum, incuneando istis liquorosas particulas, quarum molli undulatione agitantur innatantes quasi: humores porro dum sero-

ferosos adauget, quibus diluitur calor motusque humorum ac spirituum hebetatur, larga seges morborum a copia feri oriundorum & viscerum partiumque atonia suppetit.

§. 26. Quid tandem de crasso conijcere debemus? hic duplex est, vel nubilus, nebulosus aut pluviosus cum raritate ac minori pondere situque elatiori, vel aliis miscelis halituosis solidiusculis, ac præ majori mole gravibus turgidus, cum densitate, ac abinde oriunda pressura in imo atmosphæræ insigniori. Et sane densum oportebat hunc esse, cum vapores adsint tam copiosi & ad cohærendum apti, & aeris ætherisve gravitas compressiva eo major, quo cylindri sunt in locis depressis altiores, aut in profundis ac subterraneis minor ventilatio, faveant apprime condensationi. Quapropter nec hic labis expers est, cum oscillationem sanguinis vitalem, non suppeditando proportionatas satis subtiles moleculas, imminuat, & obtundendo simul spiritus functiones animales æque ac vitales debilitet, gravis simul pondere suo insigni tum respiratoriæ actioni, tum circulatoriæ sanguinis per habitum corporis.

§. 27. Econtra immoderate tenuis, ut initio ob minorem gravitatem interni aeris rite crassi elasticitatem, permittit exuperare, aucta humorum commotione, sic tandem fatiscere ob carentiam potentiæ elasticæ eandem sinit, quæ tamen perennationi omnis in viventibus motus est aptissima. Quod vitium fere cum minori coincidit gravitate, i. e. levitate aeris excessiva, nam & hæc rarescen-
tiam sanguinis nimiam, motusque inæqualitatem ac stasin humorum, tandemq; corporis intumescen-
tiam, culpa potentioris elasticitatis internæ, vasorum ac canalium latera distendentis, inferre videtur. Atque hæc omnia bene intellecta efficiunt exploratiora, quæ de subita aeris in qualitatibus præsertim circa dies singulos, aut potius menses
aut

aut anni quadrantes contra naturam morem, adeoque insolita mutatione dicuntur, quidve portenti alere, imo experientia teste sistere morborum hactenus visum fuit.

§. 28. Tandem antequam ad specialiora progrediamur, supra dictis apponere demum liceat, pressura ac motu, pro diversa ventorum vehementia plus minus exasperato, aeris ætherisque impelli simul in corpus, præsertim per ambitum ejus effluvia cujusvis indolis & texture, quibus aer plus minus copiose pro temporis ac ventorum ratione diversimode figuratis ingravidatus est, interdum crassiora majoris molis, sed velocissimo impetu & continuata a tergo pressione, adacta in poros non plane incongruos, quædam rigida ac duriora salina ac terrestria satis tenuia, aut irregularia licet, attamen mole suæ figuræ & copia accedentium corpusculorum similium aut aliorum, obvios poros vitiose agitando violenter alterantia, donec excepta suas peragant sensiles aut insensiles operationes, alterando, turbando, mutando corpus aut destruendo.

CAP. III.

§. I.



Epidemii præterlapso anno certi fuere morbi, quasdam foeminas uterum gerentes valde vexantes, & alteras ad mortem, alteras vero in maximum vitæ discrimen deducentes. Quorum facit Hippocrates mentionem *sect. 3. aphor. 12. scil. partus difficultatis, abortus, aut natorum debilitatis vitæq; valetudinariæ, & a quadam derivat anni constitutione hos omnes. Ita sonant textus verba latino idiomate expressa: Sin autem austrina pluvia & tepida fuerit hyems, ver autem siccum & aquilonium, mulieres ingravidatæ, quæ vere parit-*

D ture

tura sunt, quavis de causa abortiunt: quod si que peperint, hæ infirmos & valitudinarios edunt fœtus, adeo ut paulo post moriantur, vel debiles & valetudinarii evadant. Hoc ipsum pariter legere est apud eundem lib. de aer. aqu. loc. cap. 6.

§. 2. Et iisdem penitus consone scribit Aristoteles lib. problem. sect. 1. probl. 9. dicens: Cur si hyems austrina fuerit & pluviosa, ver autem siccum & boreale, morbosum sit tum ver, tum æstas. An quia in hyeme quidem ob teporem & humiditatem corpora similia redduntur tempori? humida enim oportet esse, non consistentia. Sic autem se habentibus, ver frigidum superveniens ipsa condensat, & indurat ob siccitatem. Itaque gravida, quibus vere partus instat, in laboriosum partum vel in abortum incidunt, propter caliditatem & mortificationem factam a sicca frigiditate, sic non expulsa humiditate. Fœtus vero imbecilli fiunt, & imperfecti ob frigidum excessum. Accidit enim, ut qui tunc nascuntur, & constiterint & nutriti fuerint intra parentes: juxta versionem Septalii, Commentar. in Arist. problem.

§. 3. Paulo aliter exprimit Aristotelis mentem Julius Guastavinius in Commentar. super ejusdem problem. sic inferens: Cur si hyems austrina & pluviosa fuit, ver autem siccum & aquilonium est, corpora tam vere, quam æstate morbi exercent? an quod hyemis tepor & humor faciunt, ut corpora tempori ejusdem proxima in qualitate reddantur. Humida enim laxaque fiant & soluta necesse est. Quæ cum ita se habeant, vere frigido atque sicco facile concrecere possunt & indurari. Itaque gravida, quibus tunc adest partus, abortu periclitantur, videlicet incalescendi, crudescendique ratione. Quæ res sideratio appellata est, quam illa committit frigiditas, impatiens omnino excerpem.

*uendi humoris. Infantes vero, quos gerunt, imbecilles la-
sosque inmodicam ob frigiditatem, edunt. Accidit enim, ut
qui tunc sereno caelo nascuntur, iidem pluvio benigno &
constiterint, & nutriti fuerint intra parentem.*

§. 4. Neminem latere arbitramur, quo quodque a naturali sibi statu in contrariam partem deductum recesserit magis, eo plus nocere, & majoribus viribus atque multo citius suas vires exerere. Quid vero naturæ hyemis magis adversari possit, quam si austrina i. e. calida & humida fuerit, atque veri, quod moderate calidum atque humidum oportebat esse naturæ congruenter, si boreale i. e. frigidum ac siccum evaserit.

§. 5. Anni temporum vicissitudines, suam servantes indolem, tam macro quam microcosmo multum conferunt, quia crasi humorum atque spirituum moderantur: nisi enim densatos hyemis rigore humores æstas delinuat futura attenuando, aut æstatis fervore rarefactos densando non temperet hyems gelida, mutatione tamen non præcipiti, propter veris & autumnii interventum, illic nimia visciditas, hic vero immoderata dissolutio insequeretur lerna malorum. Debebant igitur a frigida siccaque hyeme humores corporis prævia æstate insigniter rarefacti iterum temperari, motus paulo retardari, firmari partes & serum per uberiores transpirationem depauperatum & sub autumno ex parte restitutum pro humectandis corporis partibus, adaugenda mole, & viribus ac robore pristino restaurandis, concentrari magis: & ecce aeris tepor juxta cum humiditate excessiva, blanda & continua humorum alissione, molli quasi igne, uti superficie corporum duriorum nexus sensim emollit, ita cutis fibrositates relaxat, ut pelliculæ pororum & alia spiracula flaccidiores activas sanguinis elabi permittant, & humorosas aeris moleculas

copiosius admittant, unde serositates adauctæ in corpore obruant residuos spiritus & calorem, humorumque vapidorum nec debite ventilatorum putredini vias pandant, quo ipso & nervosi generis inducta laxitate, inæquali saltem per angustiores meatus ferantur humores turgescentes & languida agitatione cum corporis imbecillitate atque pigritie, & viscerum, prout fas est conjecturare, debilitata functione. Accedit huc facitque deteriora minor aeris australis gravitas, crassitie præterea nubilæ & pluviosæ conjuncta.

§. 6. Nunc congrua veris tempestas faceret merito gradus, clausos frigore poros referando & liquando serum, ut humores collecti perspirarent, sicque calori ad extima sese expandendi libertas concederetur: aste contrario aquilonium cum sit, serosos sub austrina hyeme congestos humores repellit, qui in rarefacta a tepore præcedente & mollia reddita corpora promte frigoris vim ad intima usque referatis viis agunt, congelati quasi a rigidioribus frigorificis atomis obruant viscera, & calori fibrisque oppido infensi multum vitali humorum derogant motui. Inde facillima foetus ad sphacelismum dispositio emerget, quia serosæ humiditates in ejus corpusculo pariter abundantes, nunc densati præter modum hinc inde stagnant, oppressoque insigniter calore cum obstructione tubulorum aliquali, tam nutritii succi corruptio, quare partes debito defraudatæ nutrimento atrophiam contrahunt, quam humorum aliorum in vitali crasi & elementaliquoque sive mixti textura immutatio, via ad putredinem tritissima, metuenda est.

§. 7. Quo tempore major simul observatur ab aere graviori pressura quam in præcedente, indeque recessus

fus humorum ad centrum fortior, siccitate ulterius al-
 gida corporis habitum mucore debito suo defraudan-
 te. Accedit porro, quod ventorum impetus per inter-
 valla vigeat, atque aeris frigus teporemve in utraque
 tempestate nunc intendat, nunc autem remissiora fa-
 ciat. Unde se pariter in hyeme prædicta, dum quan-
 doque convertitur ad temperiem sibi alias ordinariam,
 non secus atque in vere aquilonio, recurrente sæpies &
 interdum ad dies aliquot ad statum naturalem, & plus
 ultra quantocyus frigus ac tepor calorve, interjecta,
 quandoque morula se excipiunt, quo ipso, & sæpe ex con-
 trariis ad contraria transitu, motus sanguinis modo ex
 improvise intenditur, modo immodice continetur, &
 habitus modo laxior redditur, modo excessive constri-
 gitur, sicque œconomia animalis notabiliter turbatur.
 Et quod amplius est, tanta interdum ventorum invicem
 commutatio & incerta motus redundantia, atque vapo-
 rum halituumque indefinitæ varietatis ac peregrinorum
 hujus ope in vectio in athmosphæram observatur, ut pe-
 culiaris miscelæ modus, & agitatio intestina miræ indolis
 inde emergat.

§. 8. Quid mirum ergo periclitari partus intus
 forisque tenerrimos. Delectatur foetus nutritio sero,
 particulis blandis sulphureis oleosis turgido, & aqueis
 dulcibus roscido, quod motu satis vivido globulorum
 sanguinis purpureorum, fibrarumque & vasorum, ute-
 rique rite tensarum adjumento erat evibrandum, ut te-
 nellum ejus corpusculum per incuneatas in poros ac
 tubulos partium nutritias moleculas ad justam molem
 usque explicetur. Sed e contrario advehitur sub au-
 strali hyeme ipsi serum defectuosum in quantitate &



qualitate roris nutritii, quem serosior matris sanguis vitio caloris, ab exuperante humido valde retusi, debite exaltare digerendo nequivit; quo fit, ut aquosiori hoc nutrimento incrementum quidem sumat foetus, sed simul tamen corpus evadat laxius atque flaccidum, incommodo paulisper gravi perferendo impar. Cum insuper facula in ejus sanguine vitalis vix gliscere a penu hoc sibi porrecto queat, quin macula obfuscetur, functiones œconomicae inde morbosae fiunt.

§. 9. Atque hanc corporis imbecillitatem subitaneam, spirituum ac humorum crasi motuique officientes alterationes, a statu aeris per ventos & effluvia, e terræ crusta non satis frigore constricta copiose exhalantia, subito ac creberrime immutato inductæ adaugent, in tantum, ut antequam ver appetat, vel postquam novi adultive injurias supra enarratas fuerit expertus, cum vel sine causis aliis & externis accedentibus, ex utero a pituitæ copia valde relaxato per vias madore emollitas per abortionem mortuus excidat, vel vivus, brevi tamen ob immaturitatem moriturus.

§. 10. Quodsi tamen naturæ bonitate atque clementia contingat, ut emensis his ærumnis perfecto tandem partu veris tempore excludatur foetus, vitamq; eousque ducat, miseram fieri certe hanc oportebit, cum multum laboris hoc naturæ opus ex utraque matris & pueli parte exposcat, ut tenellus quisque foetus sub onere labascens inter enitendum pereat, aut imbecillis parum operæ conferens, nisuque matris ac pressura valida magis infirmatus summa cum difficultate, quod monet Aristoteles & ratio dicitat, & quandoque matris viribus exhaustæ internecone in vitam introeat, ea vel ad perbre-

breve tempus gavifurus, vel tamen non sine adversa va-
letudine œconomiam quoties conturbante protracturus
ob infirma foetus stamina in penetralibus contracta, hu-
morumque pravitatem; nam inæqualitas ætheris tene-
riores & recens natos ferit magis, si principia vitalia im-
primis minus robusta sint, ut loquitur verissime *Illustris*
Wedelius, aphor. aph. 3, 12.

§. II. Atque hæ sunt tempestates, quas *Hippocra-
tes* & *Theophrastus* ὀπισθοχειμένας vocant, arboribus quoq;
infestas, ac germina statim floresq;, si intempestive erum-
pant, adurentes, quod sphacelismus est, hoc loco, non ve-
ram substantiæ corruptionem sed dispositionē sive initi-
um ad eam denotans, quo de *Theophr. 1. de causis plantar.*
c. II. loquitur. Quo enim tempore, sicut gemmulæ plan-
tarum ita foetus cœli potissimum indulgentiam exposcit,
fomentumq; non dissimillimum priori requirit, ut assue-
tus hæcenus vivifico nativoque viscerum fotu, si adver-
santem sibi maxime qualitatem nunc experiatur, frigore
scil. statim percussus, victus perquam facile succumbet, ut
aut pereundum illi omnino sit, aut tenui imbecilloque
ac morbofo esse. *Vid. Septalius loc. cit.* Qui in hac
aeris diathesi heteroclitia undecunque illata effluvia po-
nerent, quorum actionem societatemque mollia foetus
corpuscula ob peculiarem suam texturam istis meatibus
suis conformem, reciperent, eademque detinerent, in-
star magneticorum vel electricorum corporum, quæ tan-
quam occultum venenum succi nutritii corruptionem
efficerent, illis non dicam scriberemus, dummodo pro-
babiliter hoc saltim asserere videri cupiant.

§. 12. Nostra brevi verborum ambitu hic prolo-
cuta ut exemplis eminus accersitis confirmemus haud
opus

opus est, cum prolxiorem eorum suppeditet catalogum
 præcedens annus, ut maximis in luctibus fuerint tot
 splendida familia, & maritus propter obitum uxoris cha-
 ræ tam acerbum magno pectus diduxerit gemitu, paren-
 tesque mœsti natos intempestive defunctos complerent
 adhuc. Cur tamen non omnes gravidæ tam magno
 implicitæ fuerint periculo, foetusque inter tenerrimos
 ab interitu se vindicaverint non pauci, causat robustior
 parentum textura, & virtus seminalis exuperans, ex qua
 tenellum prolis corpus exurgens in sinu matris imbecil-
 lis licet morbofo resistit insultui, potissimum ubi rerum
 nonnaturalium regimen accuratius a matre observetur,
 non obnoxia alias abortioni natura, addunt alii con-
 suetudine.

§. 13. Abortum hunc partusque difficultatem esse
 epidemicum, manifestat hujus morbi tradita superius
 definitio, atque sic differentiam ab aliis sufficienter spe-
 ciebus innuit. Quo ceterum nos brevissimis expediamus,
 ablegantes, ut signa discant diagnostica tum immi-
 nentis tum præsentis morbi, atque prognostica, rerum
 cupidos ad authores practicos, refricantesque omnibus
 hic loci memoriam actorum, atque lethalitatis ratione
 causæ gravioris, aut concomitantium & supervenienti-
 um symptomatum, qualia sunt hæmorrhagia enormior,
 syncope, imo deliria & convulsiones apud plerasque sub-
 secutæ, confestim adorimur therapiam, præservatoriam
 extra proxysmum, & curatoriam in eo. Ista alias cau-
 sæ antecedentis rationem habet, per consequens paro-
 xysmi insultum inhibens aut mitiorem reddens: hæc
 ipsum symptoma causamque conjunctam pro scopo
 agnoscit.

§. 14.

§. 14. Præservationem, quam forsan alii curatoria adscriberent, dirigere commodum visum fuit, partim ad tempus hyemale, partim vernale. Isto observamus humorum copiam imminuendam per laxantia, diaphoretica, sudorifera, diuretica, singula ex suis loculis depromenda probatissima blandiora. Calor exuscitandus per cordialia, spirituosa, balsamica, sale volatili oleoso foeta. Quibus putredini humorum simul, correctâ minera humorosa, superfluo difflato, restitutoque circulo & vigorata intestina commotione, auxilium fertur. Nervosi generis demum habenda est ratio, quod peræque ac viscera, potissimum uterus, ab ejusmodi anomaliis morbificis liberandum per lenientia, sudorifera &c. congruis intervallis repetenda, tonus eorum roborandus, & contra subsecuturas ataxias firmandus: quod ipsum assequimur per cephalica, nervina, balsamica, resolventia, absorbentia terrea, & martialia; quibus accedunt topica uterina ejusdem generis, nervina, aromatica, foetum simul roborantia, & adstrictiva mitiora sub linimenti aut unguenti forma, emplastra itidem & cerata sub umbilico, uterive aut lumbari, ab aliis dorsi regioni applicata.

§. 15. Circa sex res nonnaturales annitamur, ut aeris humiditatem corrigamus per suffimigia caput dici solita confortantia & anticatarrhalia, neve quæ transpiratu sub imperato frequenti corporis moderato tamen exercitio propelluntur vaporositates, per somnii excessivi potusque minus spirituoosi indulgentiam, iterum ingerantur a matre.

§. 16. Veris aquilonii effectus in corpore morbosus, sideratio dicta, alvi evacuationes fortes haud sustinet, imo cum clysteribus quoque cautius mercandum: potius hujus therapia eadem ac sphacelismi communis inchoati

E

aut

aut late sumti pro corruptione quavis eidem analogâ, scilicet per res solventia, sudorifera, diaphoretica, alexipharmaca, scilicet potissimum volatilia oleosa, balsamica, adornanda, ita tamen ut altero oculo foetum in utero commorantem matrisque vires internis analepticis & externis spirituosis, semper respiciamus. Simul tamen, potissimum si intestina videantur laborare, aut viscera proxime adita per metastasin eo mittant corruptos humores, propinentur lenientia, insimul in quovis casu per diaphoresin phlegmones resolutionem attendendo. Ast forsitan haud inter postrema erit reputanda venæsectio ventilatoria & revulsoria in brachio administranda, etiam repetita, quantitate sanguinis extrahendi pro circumstantiarum ratione imperanda. Balnea alias multum conducuntia ultimis præsertim gestationis mensibus, minus tuta suspicamus. Evitandæ porro sunt causæ externæ, procatarticae, vim foetui inferentes.

§. 17. Restat therapia curatoria, paroxysmum respiciens imminentem & jamjam futurum ex signis dignoscendum, cui avertendo adæquata penes practicos multa deprehenduntur remedia. Juvant alias uterina fere omnia singulari quadam calefaciendi adstringendique vi pollentia, & narcotica refracte reliquis maritata alterantibus; quædam simul acrimoniam humorum demulcentia, & decantatissima roborantia foetum, *balsamus embryonum, aqu. vit. mulier. cinam. tenell. corn. cord. cerv. lil. convall. til. ceras. nigr. epil. Lang. tinctur. corall. gr. Kerm. liquor perl. magist. corall. perl. ebor. pulv. march. specif. cephal. spec. diamarg. frig.* Imo specifica, olim in magno pretio habita, ab aliis commendantur interna, *coagulum leporis, tali lepor. succus astac. flux. vel eorum sal dextre paratum, sericum Kermes;* atque externa varia, *lapis laz. bemat. etit. brachio*

chio, *Sardonius aut magnes* ventri alligatus, vel qui in utero *cervæ* reperitur gestatus, *zona ex corio equi marin. aut lupino* ventri circumligata &c. Congruere etiam videntur superius memorata externa aromatica, spirituosæ pro uteri regione.

§. 18. Nostro tamen casui vix exasse quadrare omnia, inde augurari convenit, quod summo licet adhibita studio haud singularis efficaciam deprehensa fuerint, nec levamen ægræ inde persenserint notabile. Satisfacere potius intentioni nostræ crediderimus alexipharmaca, sudorifera &c. sola, aut roborantibus temperatis & fixioribus potius, quam volatilibus in auxilium simul adscitis: quibus itidem irritis necrosi humores in fœtu adeo corruptos esse indicatur, ut ad statum naturalem reduci posse impossibile sit.

§. 19. Ubi actu abortus fit, cura nulla tentanda, nisi ea, quæ exclusionem faciliorem minoribusque symptomatis stipatam faciat, periculum enim foret, ne si fœtui mortuo, aut jam in egressu morituro, per adstringentia a Medico adhibita via præcluderetur, in utero restitaret cadaverosa atq; inflammatoria materia, millium symptomatum parens funesta. Vid. *Manget. bibl. med. practic. lib. 1.* Quapropter fœtum pellentia commendamus, embryo in situ ad exitum commodo collocato. Si tamen restiterit mortuus progredi renuens, sine mora opitulante Chirurgica arte uncis extrahendus, etiam in partes discerptus, ubi integrum educendi copia non datur. Abortu factò mulier ut puerpera tractanda, lochia debite moderanda, vires restaurandæ, & symptomata occurrentia mitiganda ac auferenda sunt.

§. 20. Atque hæc de horni affectus nostri medela pro hac occasione & exiguo iudicii modulo sufficiant.

Reli-



Reliquarum rerum, aut quia huc non directe spectant,
rationem habere haud potuimus, aut quia in Practicorum
libris ambagiosa disquisitione pertractatae ad nauseam
quasi, nolimus, aut minus necessarium
judicavimus.

F I N I S.

Wergönn es/ Werther Freund/ wenn meine Feder schreibt/
Hier zeigt ein kluger Sinn/ was Kunst und Fleiß vermag.
Wer rechte Wissenschaft mit solchem Ernste treibet/
Der sieht in kurzer Zeit den schönsten Ehren Tag.
Arnold Friedrich Beier/ Jen.
Med. Stud.

Judicium plusquam-maturum cavit ABORTUM,
Foetus hic ingenii jam nunc maturus ut exstet;
Maturæ laudes proin ut comitantur eundem,
Sic maturati meritique sequantur honores!

*Hac Nobilissimo Doctissimoq; Dn. Respondenti,
Fautori ac Amico honoratissimo, gra-
tulabundus apponebat*

G. H. Oelffen, Cell.
Med. Stud.

Sic cathedram scandis, lato, CLARISSIME WITTE,
Successu, postquam resq; modosq; tenes.
Gratulor hos ausus; laudandis pergito caeptis,
Attinges felix propositumq; STATUM.

*Ita Nobilissimo Domino Respondenti,
Amico suo æstimatissimo, gratula-
bundus apponebat*

Job. Christ. Fritschius, Schwarzb. Thuring.
Med. Stud.



90 A 6421

f

ULB Halle 3
002 927 306



Nr. 37 nur


TA → OL

Verknüpf

R

VD 17





4a 412

L. D. B. V.

EX

AUTHORITATE ET INDULTU

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ Jenensis

DISSERTATIONEM HANC

DE

A B O R T U

E P I D E M I C O

P R Æ S I D E

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. JACOB. FICKIO,

PHIL. ET MED. D. ARCHIATRO

COM. MANSFELD.

Præceptore suo ætatem colendo

publice ventilandam sistit

D. MART. ANN. M. DC. XCVII.

H. T. WITTE, QVENSTED. MANSFELD.



J E N Æ,

TYPIS GOLLNERIANIS.

